72

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDVARDUS PHELAN,

Hibernus.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ALEX. SMELLIE,

ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

MDCCCXVIII.

VIRO PRÆCLARO

PHILIPPO DOWE, M. D.

DE CLONMEL,

IN COMITATU DE TIPPERARY,

MENTE CAPACE, INGENIO PROFUNDO,

ET SUMMA SCIENTIA, ET ARTIS SUÆ,

ET VARIARUM ALIARUM

DISCIPLINARUM PRÆDITO,

SODALI BENIGNO,

CUM QUO COMMERCIUM OMNI JUVENI PRODERIT;

HAUD MINUS OB COMITATEM

MORUM, ET PRÆSTANTIAM ATQUE

FACILITATEM QUIBUS

SENTENTIAS SUAS EXIMIAS IMPERTIT, INSIGNI,

UT PIGNUS SUÆ OBSERVANTIÆ,

HASCE PRIMITIAS STUDIORUM

EJUS, OFFERT

AUCTOR.

AVUNCULO SUO

REVERENDO JOANNI RYAN,

DIOCESIS WATERFORDIÆ,

ET LISMORIÆ,

SUMMA CUM REVERENTIA,

ET

ANIMO GRATO,

OB PLURIMA BENEFICIA IN SE COLLATA,

DEDICAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE.

QUONIAM opus sit mihi, pariter ac aliis similes honores ambientibus, aliquid in lucem edere; ex morbis quibus corpus humanum proclive est, Hepatitidem pro argumento dissertationis inauguralis sumo; quippe quæ sit morbus, qui nunc in his regionibus, saltem illa parte Hiberniæ mihi maxime nota, frequentius quam antea sævit, atque igitur summam attentionem sibi vindicat. Hanc, non quia spero penes fore me eandem satis probe illustrare, selegi; sed obtemperans legibus almæ academiæ, quam brevissime et optime, et quæ ex libris, et prælectionibus profes-

sorum illustrium didici, pariter ac, quæ in nosocomiis, et aliter, mihi oblata sunt, de hac re, pro virili parte exponere conabor, et inter hoc absolvendum indulgentiam lectorum precor.

Ut scientia situs, formæ, nexuum et structuræ organi, ad functiones ejus plene intelligendas opus est; et quoniam cognitio harum et formantibus opinionem et rationem medendi, hoc organo vitiato, instituentibus, nobis est auxilio, de illis primo loquar.

Omnibus igitur anatomiæ peritis notum est, hepar esse viscus mole haud parva, quam sibi assimulando hydrogenium et carbonium sanguinis umbilicalis, adipisci fertur. Substantia ejus est adiposa et oleosa, et situm habet in illa parte cavitatis abdominis, cui nomen est hypochondrium dextrum, transversim regionem epigastricam, versus hypochondrium sinistrum tendens, in quo ventriculus situs est, quicum ope omenti minoris connectitur. Cum superficie concava diaphragmatis, ope quatuor ligamentorum, scilicet suspensorii, coronarii, et dextri atque sinistri ligamenti lati, quoque committitur. Superficies superior hepatis convexa est, diaphragmati aptata; inferior est concava, ventriculo nitens; pars posterior crassa est, in qua

sulcus est vertebris accommodatus, contra quas jacet; et superficies anterior et inferior tenuis est, inferiori thoracis margini conveniens, et renem dextrum versus tendens. Hepar in lobos tres diducitur, magnum vel dextrum, parvum vel sinistrum, et lobulum Spigelii. Fissura magna, accipiens ligamentum suspensorium, (ligamento terete incluso) lobum dextrum e sinistro dividit; alia fissura est in dextro latere lobuli, qui recipit venam cavam inferiorem, sanguinem revehentem ab extremis inferioribus. In superficie inferiore lobi dextri est depressio, vesiculæ fellis accommodata, ex qua ductus cysticus oritur, et cum ductu hepatico coiens, ductum communem choledochum constituit; hic cum ductu pancreatico conjunctus, in curvaturam primam duodeni * aperit. Inter lobum magnum et lobulum spigelii, est cavitas portæ, in qua pleraque vasa hepatis sita sunt, arteria Hepatica in sinistro, ductus communis choledochus in dextro latere, et pone hæc vena portæ, formata venis superiore et

---

* Vesalius relates (ut Richerandus dicit) that he found the ductus communis choledochus opening into the stomach in the body of a convict noted for the voraciousness of his appetite.

Rich. Phy. p. 105.

inferiore mesenterica et splenica conjunctis, per quam sanguis fere omnium viscerum abdominis revehitur, qui sanguis materiam, ex qua bilis secernitur, hepati suppeditat.

Munus præcipuum, cui hepar sanum inservit, est bilis secretio; ad sanguinem purificandum nonnihil forsitan conferre possit, eo pulmones adjuvans; sed saltem ab omnibus aliis organis secernentibus in hoc differt, quod materiæ, unde fel secernitur, non sanguine arterioso sed venoso præbentur. Bilis, ut fluida olim ordinata fuerunt, excremento recrementitiosa nuncupata fuit, sed auctores recentiores eandem saponaceam nominant. Hæc est fluidum viscosum, amarum, et subflavum, et quod ad copiam, qualitatem et colorem, maxime variare proclivis est, quippe quæ interdum sit colore viridi, aliquando subfusco, et non semper pariter acris. Sed hæ mutationes bilis cuidam vitio organi ejus secernentis tribuendæ sunt. Hæc est quoque fluidum maxime compositum, quippe quod simul aquam, albumen, oleum, alkali, et salem continet.

Bilis, in fabrica jecinoris secreta, a ductibus biliaribus, hoc organo sano, absorbetur, et vel per ductum Hepaticum in duodenum fertur, ubi digestioni maxime inservit, et in quo chymus,

e ventriculo delatus, novas mutationes, fortasse haud minus necessarias, illis in ventriculo ipso peractis, subit. Quoniam digestionis consilium præcipuum est res chylosas vel nutrientes ex fæculentis separare, et quoniam hoc fit viribus fluidi biliaris et pancreatici in duodeno conjunctis, hos humores absentes, vel copia vel quantitate deficientes, noxam illaturos satis liquet. Bilis sana, in chymum effusa, hunc penetrat, solvit, et partem nutrientem a fæculenta separat. Fel ipsum, inter concoctionem, in duas partes dividitur; pars oleosa et acris simul cum fæcibus exit, et his dotes stimulantes, ad actionem intestinorum excitandam necessarias, præbet, dum pars albuminosa et salina cum chylo coit, et in sanguinem redit. Bilis, inquam, ex hepate, vel per ductum hepaticum in duodenum, ut supra dictum, vel per ductum cysticum in vesiculam fellis, ejus receptaculum, defertur; quomodo in vesiculam fellis ingreditur, ob situm fere parallelum ductus cystici et ductus hepatici, et angulum acutum ab his conjunctis factum, non est facile intellectu. Duodeno inani, ductu communi choledocho tunc partim occluso, bilem per ductum cysticum in vesiculam fellis regurgitare creditum est. Sed utcunque intrat, vel quomodo-

cunque explicationem accipiat, hoc fieri satis constat, et hic restat, et dotes meliores induit, donec usque ad concoctionem promovendam emittitur, quod fit aliqua irritatione ex duodeno distento delata ad vesiculam fellis inducente parietes ejus se contrahere, et quod pressura duodeni quoque adjuvatur. De usu succi pancreatici non bene constat, sed quia cum bili in duodenum ingrediente miscetur, hoc fluidum munus suum persolvens auxiliari putatur.

Hepate obstructo, vel aliquibus muneribus ejus vitiatis, bilis non satis copiose secernitur, et etiam copia, quantacunque sit, est male sana; igitur digestio minus perfecte perficitur; fæces siccæ et discoloratæ fiunt, ob stimulum solitum deficientem; intestina torpent, minus sentientia evadunt; vis contrahendi minuitur, et alvus pertinaciter adstricta, quæ in mortem desinat, sæpe accedit. Facile est conceptu, organa stimulis carentia, qui actionem eorum promovent, muneribus suis imperfecte perfungi, et tandem agere desinere.* Hepatitis nomen huic morbo imponi-

* Tota vita, quanta est, consistit in stimulo et vi vitali.—Brown.

tur ab ἧπαρ, jecur, et sic a Culleno celeberrimo definitur. "Pyrexia; hypochondrii dextri tensio et dolor, sæpe pungens, pluritici instar, sæpius obtusus; dolor ad claviculam et summum humeri dextri; decubitus in sinistrum latus difficilis; dyspnœa; tussis sicca; vomitus; singultus. Variat, I. *Acuta*,—Signis in charactere dictis dignoscenda. II. *Chronica*,—Hæc sæpe nulla quibus dignoscatur signa præbet. Aliquando tamen eandem adesse suspicari potest, ex hepatitidis causis quibusdam prægressis, ex sensu quodam plenitudinis et gravitatis in hypochondrio dextro, ex doloribus plus minusve pungentibus in eadem parte subinde perceptis, ex dolore quodam a presso hypochondrio dextro, vel a decubitu in latus sinistrum sentito, et denique ex pyrexia leviori, cum dictis signis, subinde infestante."

Quibusdam, speciem acutam, siquando membranæ hepar cingentes afficiuntur; chronicam, siquando pars interior substantia nimirum hepatis ipsius dolet, existere visum est. Sed sententia diversa aliis placuit, qui acutam ad actionem auctam arteriæ hepaticæ, et chronicam ad venam portæ eodem modo affectam, referunt. Alii quoque certa signa, prout hæc vel illa pars

organi inflammatione afficitur, adesse affirmant: aliis, hoc semper factum non se vidisse, affirmantibus. Tam multis diverse sentientibus, nihil pro certo affirmare vellem; et non multum interesse, an inflammatio membranas vel substantiam jecinoris corripuit; num ex actione venarum vel arteriarum oritur; vel num sit in superficie convexa vel concava, opinor, quoniam consilium medici, utrovis facto, idem est. Sat igitur est scire, inflammationem, num acutam vel chronicam, hepati adesse, et quantam, quod, in plerisque exemplis, attentione sedula conditioni ægri adhibita, constabit, illis signis quæ descripturus sum in memoria retentis.

Hepatitis, in diversis hominibus, signis aliter vehementibus incipit. In nonnullis satis acriter adoritur, et symptomata adeo usque ingravescunt, ut metum excitant, et auxilium statim postulant. In aliis contra, leniter, et dolore adeo pauxillo, invadit, ut nihil molestiæ ægro præter aliquid incommodi ex leni dolore lateris, vel humeri subinde percepti, vel nonnihil hujusmodi, excitat, cui per hebdomadas, immo per menses, attentionem non tribuit; dum morbus fortasse simul ad suppurationem celerrime pergit.

Hepatitis nihilominus in hisce regionibus, in

stadio ejus acuto, eodem modo ac inflammationes in aliis partibus, incipit frequentissime cum sensu frigiditatis et frigoris, cum capite leniter affecto; dolore hypochondrii dextri, nunc acuto, nunc hebete, pressu aucto; simul cum dolore ad summum humeri dextri, aliquando sinistri, et liberum motum brachii nonnunquam impediente; tussis perpetua, dura, et sicca; spiritus oppressus; et decubitus difficilis in latere sinistro. Interdum æger in dorso facilius quam utroque latere recumbere potest. Nausea et molestia ventriculi, appetitus imminutus, alvus tarda, urina ruberrima et parca, sitis, ardor et siccitas cutis, et lingua pellicula alba vel subflava obducta, lassitudo, et animus depressus, cum pervigilio, adsunt.

Singultus interdum invadit, qui est signum infaustum et molestum, quippe qui, motu ejus convulsivo, dolorem partium affectarum procul dubio excitabit et augebit; pulsus sæpissime est celer et durus, aliquando intermittens, sed non tam sæpe, mihi persuadetur, in acuta quam in chronica. Pulsum intermittentem, in exemplis hujusmodi, alvo diu astrictæ magna ex parte refero; nam exempla morbi mihi visa sunt, in quibus pulsus intermittens, dum alvus astricta

fuit, quæ intermissio, alvo plene soluta, desiit; vel hæc tribui potuit tumori, amplificationi vel conjestioni in jecinore, quibus vena cava, vel vena portæ, vel utraque, ut transeunt per hepar, quodammodo premi vel strangulari possint; cursum sanguinis sic impedientes, et ne satis hujus stimuli in cor immittatur, causâ hoc ad actionem suam naturalem et perpetuam excitandi, obstantes.

Cutis et oculi colorem profunde flavum induunt, sed non nisi morbus aliquot dies perstiterit. Hoc fit, vel hepate vel vesicula fellis obstructa, prohibente transitum bilis in intestina; vel alvo astricta impediente ne bilis per hæc transeat, et utcunque sit, bilis absorbetur, et in massam sanguinis defertur.

Difficilis decubitus, cum in Hepatitide acuta, tum chronica, sæpe accedit. In acuta, cum inflammatio ad ligamenta, quibus hoc viscus pendet, et in situ retinetur, serpit, quia tunc illa, vel pondus naturale sine dolore non tolerare possunt; in chronica, cum hepar ampliatum, tumefactum, vel suppuratione correptum, pondus præter naturam acquirit, quod ligamenta supra dicta sine incommodo non sustinere valent. Illa sunt symptomata in Hepatitide acuta plerumque visa;

et præter jam dicta, alia in stadio chronico prodeunt; multa quorum morbum confirmatum, haud dubie periculosum, et mali symptomaticum ostendunt; ut dolor gravis in regione epigastrica ad humerum, ut antea dictum, tendens, plenitudo abdominis, cum amplificatione et duritie ad imum ventriculum, et infra costas spurias lateris dextri perceptis, aliquando in abdomen deorsum tendentibus; marcores insignes et vires prostratæ: pulsus maxime exilis et intermittens, parum somni, et sæpe somniis horrificis interrupti: curvatura spinæ, qualis corpus retrorsum vel prorsus ad aliud latus trahit, cujus exemplum insigne semel vidi, de quo in alio loco dicam. Eruptio interdum in quadam parte corporis vel extremitatum prodit, sed si hæc in capite visa est, eo plus habet periculi, quia inflammationem cerebri minitatur. Diarrhæa biliosa cum tenesmo et torminibus sæpe est molestissima; tussis cum pure expectorato, color morbidus vel lividus vultus, indigestio, flatus, et dolores ventriculi, singultus, vomitus biliosus, alvus pertinaciter astricta, stupor, delirium, et pulsus intermittens, in exemplis morbi infaustis, simul adesse sæpe reperiuntur; et effusio ex pulmonibus, fortasse duodecim vel sexdecim horas ante mortem, im-

primis si pulmones affici visi sunt, per decursum morbi, aliquando adoritur.

Dolor vehemens, pulsus frequens, calor insignis, cutis sicca, alvus astricta, et rigores frequentes, suppurationem accedentem denotant. Dolor imminutus, organi pondus auctum, paroxysmi febriles quotidie, rubor vultus, sudores nocturni, cum aliis signis hecticis, puris jam formati signa sunt.

Symptomatis præcipuis et frequentissimis, per Hepatitidem et acutam et chronicam accidentibus, recensitis, ad fines ejus maxime verisimiles nunc attendemus.

Hepatitis in Resolutionem, Suppurationem, Gangrænam (quæ rarior est,) et Scirrhum, in quo hepar fit durum et tumidum, fortasse sine ulla inflammatione antea visa, et sic per annos, cura adhibita, perstiterit, desinere potest. Sed debilitatem, quæ haud raro in Hydropem vel Icterum transit, aliquando infert. Scirrhus hepatis, in illis qui in cœlis calidis aliquamdiu degerunt, vel in illis liquorum spirituosorum usui immodico addictis, frequentissime detectus est.

Ex omnibus terminationibus, Resolutio, procul dubio, faustissima est; et hæc, remediis idoneis tempestive adhibitis, aliquando efficitur, ope

quorum, symptomata plerumque mitiora fieri, et decedere incipiunt: conditio ægri in melius mutatur, et ille paululum in sanitatem restituitur. Sed natura sola hoc morbo haud raro se liberare valet: quia hic, sanguine sponte effuso ex naribus vel venis intestinorum inferiorum, sæpe dicitur finiri, vel perspiratione profusa et generali per totum corpus, qua, cum cutis flava est, indusium tingi fertur; vel fluxu copioso urinæ subfuscum sedimentum deponentis, vel Diarrhœa biliosa. Resolutio quoque, Expectoratione copiosa et profusa, vel Erysipelate in quadam parte superficiei corporis erumpente, effici dicitur.

Sed si inflammatio in nullo modo jam dicto desineret, nec remediis idoneis cederet, Suppurationem verisimile fore expectandum est, cujus signa jam enumerata sunt, et quæ medico spem Resolutionem inducendi adimunt.

Hepatitis in hisce regionibus, attentione mature adhibita, suppurationi, ac in cœlis calidis, non adeo est proclivis cedere. Proclivitas ad suppurationem ex vehementia inflammationis, natura loci et coeli, ratione medendi a medico adhibita, et quoque tempore quo remedia usurpantur, pendet.

Hepatitis interdum, quamvis raro, a Gangræna finitur, quam, absentia doloris, sudores frigidi per corpus, arteriæ languide et tremule pulsantes, singultus perpetuus, extrema frigida, materies nigra interdum ejecta, et dejectiones quoque nigræ et fœtidæ, denotant.

PROGNOSIS.

Nil est majori honori medico, quam eventum cujusvis morbi scite prædicere; et certe merito, nam illum artis suæ, et morbi sibi committendi, (ut quemque ex quo salus populi pendet, oportet) peritum esse clare demonstrat.

Reddentes igitur opinionem, omnia symptomata, aliasque res, oportet tenere in memoria; ut, quæ sint vires ægri, quacunque valetudine adhuc gavisus fuerit, ætatem respicere, habitus, durationem morbi, vehementiam ejus, et similia. Si, paucis diebus elapsis, tales mutationes fiunt, quales Resolutionem nos sperare sinunt, omnia fausta sint ægro. Si contra, morbus perpetuo ingravescit, omnibus frustra exhibitis, metus periculi subest. Si talia signa existunt, qualia suppurationem factam ostendunt, tunc, quamvis exempla fuerunt salutis restitutæ, prognosis in-

fausta erit, et eventus ex modo, quo pus exit, pendet.

Si materies per ulcerationem in ventriculum vel intestina transeat, ejici vel dejici possit, et æger ad sanitatem restituatur; vel si in pulmones acciperetur, per tussim ejiciatur; vel si vomica erumpi pergeret extrinsecus, apertura in latere fiat, et pus effundi possit. Materies aliquando per intestina, sine ulla ulceratione facta, id est per ductus biliares, exit. Exempla hujusmodi ægro salutem non negant, sed febris hectica eum plerumque tollit. Sed si materies in cavitatem abdominis vel thoracis intrat, mors fere sequitur: Si apostema profundum sit in jecinore, et non proclive erumpi, prognosis pariter est infausta, cujus ipse semel fui testis.

Si symptomata Gangrænæ adsint, quæ raro fit, mors non est evitanda.

DIAGNOSIS.

Nulla pars muneris medici, quam naturam morborum probe perspicere, et similes alios ex aliis dignoscere, sua magis refert, nam in hoc errare sæpe est ægrum trucidare.

Morbi pro quibus Hepatitis habeatur sunt

Pneumonia, Gastritis, Enteritis, Rheumatismus et Dyspepsia. Sed modum morbum, de quo agitur, ex singulis his dignoscendi, breviter describere conabor.

Ex Pneumonia signis sequentibus dignosci potest.

In Pneumonia spiritus difficilis et gravior est, et dolor inspiratione plena auctior fit, ex uno latere ad aliud aliquando transit, et pressura, ut in Hepatitide, haud ingravescit: Pulsus durior est, et decubitus in latere affecto difficilis est, quod in Hepatitide aliter fit. Expectoratio copiosior est, et aliquando sanguinolenta; sed hoc quoque in Hepatitide, pulmonibus affectis, quod non debet nos fallere, eveniat; vultus turgidus est cum rubore, dum in Hepatitide pallidissimus et flavus est; et in Pneumonia æger vix unquam singultu afficitur; præter hæc, Hepatitis, dolore humeri sæpissime comitante, facile dignosci potest.

In Gastritide vires multum imminutæ sunt, pulsus debilissimus et parvus, ingens anxietas et sensus ardoris et doloris in epigastrio, quæ, aliquo in ventriculum sumpto, quod statim ejicitur, ingravescunt; omnia hæc, cum absentia doloris in humero, Gastritidem ex Hepatitide facile distinguent.

Enteritidem, dolor circa umbilicum torquens

per abdomen tendens, si digito prematur, demonstrat. Pulsus est debilis et parvus, ut in Gastritide; quibus signis facile ex Hepatitide dignoscitur.

Inter Rheumatismum et Hepatitidem diagnosin instituere minime est difficile. Dolor in rheumatismo non fixus perstat, sed per cursum musculorum transit, et conatu facto ad corpus movendum, multum ingravescit. Hæc, et absentia tussis, vomitus, et respirationis difficilis, Rheumatismum ex Hepatitide dignoscere sufficiant.

Inter Hepatitidem et Dyspepsiam diagnosin instituere haud difficile est, quamvis plurima symptomata communia utrique existunt, imprimis in stadio chronico illius, quæ incaute observantem in errorem ducerent.

Hepatitidem ex dolore in regione hepatis, quod interdum durum et ampliatum, circa imum ventriculum vel infra costas falsas, est tactu, quoque dolore humeri et claviculæ, colore bilioso in cutem et oculos obducto, decubitu difficili in latere sinistro, colore peculiari dejectionum ob bilem intermixtam deficientem, urina ruberrima et parca, pulsu duro, et curvatura spinæ, dignoscere possumus. His et plurimis aliis symptomatis vix unquam in Dyspepsia simplice occurrenti-

bus, morbum de quo agitur distinguere valemus: et tamen hunc pro aliis interdum habitum fuisse mihi persuadetur, exemplum sequens cujus mihi oblatum fuit.

Homo, Hepatitide chronica manifeste laborans, initio Augusti me arcessivit. Mihi quærenti, annon aliquid medicamenti antea præscriptum fuit, vel annon aliquis illum viserat, res sic extitisse, sed cum fructu nullo, respondit. Solicitus fui, quæ antea facta fuerunt scire; ergo exscriptum præscriptionum a pharmacopola adeptus sum, quibus lectis, nihil miri fuit mihi talia remedia ægro non profuisse. De morbo revera opinio minime accurata fuit; effectus pro causa habitus fuerat. Ægro quasi Dyspepsia laboranti remedia exhibita fuisse mihi visum est; nam hæc fuerunt amara, chalybeata et similia; attentio summa ad ventriculum solum adhibita fuit, hepate imprimis affecto adeo neglecto, quasi idem non extitisset. Quid errores hujusmodi efficiunt? Tempus quo æger plurimum solaminis acciperet, elabitur; morbus indies ingravescit, et tandem lethalis fit. Rebus sic se habentibus, unguentum hydrargyri infricari jussi; sed prejudicia sua ægro fuerunt, et hoc facere noluit. Pilulas hydrargyri igitur pro unguento suffeci, sed hæ quo-

que erant fastidio; purgantia ergo ei exhibui, et omnia quæ penes erant me ad eum auxiliandum institui, et eum visere cessavi. Hieme sequente tamen, et duas hebdomadas ante mortem, spina modo insigni curvata fuit, quæ corpus ad unum latus omnino flexit; huic accesserunt nausea et vomitus, horrores et sudores, alvus pertinaciter astricta, pulsus celer, abnormis, et intermittens, singultus, stupor, delirium, et mors.

Valetudine hujus investigata, illum hepatitide acuta duobus annis abhinc laborasse reperi.

CAUSÆ.

Causæ hujus morbi sunt duorum generum, prædisponentes et excitantes.

Plurimis opinio fuit, Hepatitidem, juniores rarius, adultos vel florentes ætate sæpius, et quoque viros præ fœminis, afficere; de ratione postrema satis constat, quia illi ad causas morbi, ob modum vivendi, sæpius objiciuntur; sed nec ætati nec sexui morbum parcere, hunc, inter juvenes pariter ac senes, etiam natos annos tredecim vel pauciores, sævire, me habeo persuasum. Hic quoque tam fœminas quam viros invadit, illas

imprimis inertiæ et vitæ sedentariæ addictas, ancillas quæ plurimas vestes lavando occupatæ sunt, et quæ frigori et humiditati, aliisque hujusmodi, se objiciunt. Has esse causas frequentissimas Hepatitidis in hisce regionibus inter vulgus existimo; et revera inter nobiliores, liceat addere, qui sese frigori per ludos nocturnos, fenestras inter saliendum in cœtu frequentissimo aperiendo, bibendo aquam frigidam, et eundo leviter vestiti in aërem nocturnum, exponunt.

Ardorem solis causam esse prædisponentem, vel potius excitantem, probe constat: quamvis modus operandi non facilis est intellectu. Bilem acriorem fieri, et sic hepar irritare et inflammatione afficere, non absimile est. Plurimi ex incolis harum regionum tamen, qui, patria relicta, in Indias Orientales migrant, quibus viribus ardor solis, impediendo munera hujus organi, polleat, summo pretio discunt. Incolas harum regionum quam Europæos qui huc adveniunt, Hepatitide multo rarius affici, observetur. Sed habitum in hac re, ac in multis aliis, plurimum valere verisimile est; salutem illis, qui ab ætate ineunte cœlo assueti fuerant, præbentem, dum illi, qui extrema servant, affici sunt procliviores. Sed quoniam hæc causa in hisce regionibus mini-

me valet, et vix unquam effectus ejus edit, illas, quæ hic valent, animadvertamus.

Inebrietati fortasse Hepatitis haud raro tribuenda est, ut hæc inter eos, quibus mos est multum vini et liquorum fortium bibere, sævire detegitur. Modus, quo inebrietas hepar afficit, non satis innotescit. Irritatio forsitan, hoc inflammare satis pollens, a ventriculo vel intestinis ad hepar, inter quæ tam arctus consensus existit, defertur; vel morbus fortasse non minus eventibus fortuitis et injuriis, in ebrietate tam frequentibus, scilicet lapsibus, contusionibus, expositurae ad frigus et aërem nocturnum, et similia, quam liquori ipsi, attribui potest; ut permulti plenos haustus impune bibere solent, qui his casibus non se objiciunt, dum alii multo magis temperati ab hoc morbo crucientur; quod sæpius quam semel vidi. Frigus, humiditas, fatigatio, et expositura corporis exercitatione vehemente vel aliter calefacti, ad aërem frigidum et similia, inter causas Hepatitidis in hisce regionibus imprimis debent recenseri.

Ictus, regioni hepatis illati, inflammationem hujus visceris gignent. Sed, quod mirabilius videtur, ictus admoti capiti eandem excitare dicuntur; quomodo hoc fit, non satis liquet. Capite læso, vomitus vehemens sæpe accedit;

exercitationem igitur septi transversi, et musculorum abdominis in hepar prementium, ductus ejus solvere, et ipsum irritare et inflammare, verisimile est.

Hepatitis pro causa sua calculos agnoscit, et in nullo loco, meatibus urinæ exceptis, hi sæpius reperiuntur. Hi formati in quibusdam poris vel ductibus biliariis plerumque insident, irritationem et inflammationem, quæ nonnunquam per totum hepar serpit, excitant.

Plurimæ aliæ causæ hujus morbi, de quibus breviter loquar, existunt. Inter has sunt effectus animi, ut ira vehemens, amor immodicus, mœstitia vel mœror, usus nimius et intempestivus hydrargyri, haustus aquarum insalubrium, febres intermittentes et remittentes, omnes esse causæ hujus morbi feruntur. Partes vicinæ induratæ vel ampliatæ, et tubercula organi utcunque inducta, inter has recensentur: postremo, humoribus secretoriis vel excretoriis suppressis, hepar, æque ac alia viscera, inflammatione sæpe corripietur.

RATIO MEDENDI.

Quoniam medici est, in stadio acuto inflamma-

tionis jecinoris arcessiti, resolutionem quam celerrime efficere, regimen antiphlogisticum strictissimum igitur statim est præcipiendum, quia, rebus sic existentibus, nihil loci est moræ; ratio efficacissima ad periculum imminens arcendum, ne æger ob remedia serius exhibita tolleretur, instituenda est. Imprimis igitur sanguis plene debet mitti, et ex orificio amplo, quod modo duplici prodest; primo, detractio subita et parca fortasse, in dato tempore, quam copiosior et tarda, majori commodo erit ægro. Secundo, tunica coriacea alba facilius formabitur, quo facto, illa nobis erit indicio annon sanguinem iterum oportet detrahere; sed, absentia hujus non semper pro regula certa inservit, nam mihi in nosocomiis, sanguinem in stadio maxime inflammatorio rheumatismi missum, hanc tunicam minime exhibuisse aliquando perspectum fuit. De copia sanguinis detrahenda, vel quoties hoc debet fieri, nulla lex certa tradi potest, nam sanguis pro re nata, ut symptomatis, ætate, viribus, habitu corporis, &c. mittendus est, ut medico visum erit. Liceat addere, uncias sexdecim vel fortasse plures, usque ad viginti quatuor, ad initium mitti posse, intra horas viginti quatuor, pro symptomatis, iterum fortasse detrahendas. Dolore adhuc

perstante vel non levato, pulsu valido, duro, et frequente, et sanguine misso tunicam coriaceam albam præbente, detractio hujus repetenda est: De quo Pemberton his verbis utitur:—

"If the blood, after six hours from the time of the venesection, appears very firm, compact, and opaque, has a concave surface, and is puckered at the edges, and if the hardness of the pulse and degree of pain be not diminished, we may feel secure, that the patient will again bear, with advantage, a bleeding from the system. If, on the contrary, the buff (after an equal time) appear with a flat surface, is transparent, and has a greenish yellow colour, with a striated filamentous texture running through it, we must not again have recourse to general blood-letting, but place all our reliance on topical bleeding, blistering and purging."*

Si igitur, ob pulsum debilem vel vires confectas, missio sanguinis generalis inepta sit, inflammatione adhuc non prorsus superata, specialis, hirudinibus vel cucurbitulis cum ferro parti dolenti admotis, institui potest: vel emplastrum

* Pemberton on Diseases of the Abdominal Viscera, p. 25.

vesicatorium parti imponatur, quod dolorem tollendi, et ægrum levandi vim habet. Nonnullis medicis, ut vesicatoria eidem parti iterum atque iterum admoveantur, videtur; quod, ex summa irritabilitate quorundam aegrorum, quibus vesicatoria ingenti sunt cruciatui, cui dolores priores haud comparandi sunt, non potest fieri. Hujus duo exempla vidi, in quibus vesicatoria opus fuit tollere. Hæc igitur, rebus sic existentibus, omittenda sunt, sed irritabilitate et febre levatis, ad hæc commode confugi potest.

Cantharides dysuriam inducere, et renes irritare, probe constat. Hac usui vesicatorii accedente, liquores calidi diluentes copiose sumendi sunt, quibus meatus urinæ relaxantur, et abdomen et regio pubis aqua calida debent lavari, quæ non solum dysuriam, sed inflammationem, levabit.

Ad conditionem alvi interea attentio adhibenda est, quoniam omnibus febribus et inflammationibus alvus fusa prodest. Sed medicamenta, hoc consilio usurpata, non debent esse drastica vel nauseantia; quippe quæ ventriculum et intestina irritent: Contra, mitia selegenda sunt. Quidam ex salibus copiose diluti, aut oleum ricini, medicamentum intestinis gratum, forsitan præstabunt.

Sed intestinis torpentibus, et his medicamentis frustra sumptis, ad fortiora, ut submuriatem hydrargyri et jalapam oportet confugere. Hæc materiam fœculentam expellere valent, et pro re nata, nisi intestina nimis irritare reperiuntur, debent repeti; hoc facto, pauxillum opii addi potest, et oxydum cinereum hydrargyri pro submuriate suffici. Sic attentio ad conditionem alvi per totum decursum morbi tribuenda est. Medicamenta ad vomitum ciendum proclivia, quia hæc hepar dudum inflammatione correptum male afficiunt et irritant, sedulo evitanda sunt.

Aliquis Hepatitide Acuta laborans victu tenui uti debet; carne omnigena, tum assa tum elixa, omnibus liquoribus vinosis vel spirituosis, denique omnibus stimulantibus evitatis. Diæta debet esse simplex et parca, ex fructibus et vegetabilibus constans, nam, Pythagora testante, victus ex vegetabilibus solis conflatus, sanguini principia blanda et mitia impertit. Potus levis, subacidus et refrigerans, et aer conclavis, purus et siccus, esse debet. Febre et inflammatione sic levatis, ad usum hydrargyri, causa perficiendi curationem, et cavendi ne scirrhus hepar afficiat, oportet confugere; et hic, donec medico morbum prorsus fugatum constiterit, exhibendus est.

Si medicus non nisi post stadium chronicum

formatum arcessitus sit; ratio medendi valde diversa erit, quia sanguinis missio, in acuta tam necessaria, vix unquam debet institui.

Ægro Hepatitide Chronica laborare reperto, signa cujus jam recensita fuerunt, quoniam hydrargyrus ad secretionem bilis vitiatam corrigendam, et hepar ad munera sana et solita restituendum, tantum pollet, medicus hunc protinus debet exhibere. Sub forma unguenti fortis fortasse maxime prodest, cujus drachma vel semidrachma cum pauxillo camphoræ, singulis noctibus in latus dextrum, donec medicamentum systema afficere inceperit, quod ore et gingivis dolentibus patebit, infricetur. Sed hoc non semper accedere, hic liceat mihi observare, exempli cujus in homine testis fui, cui unguentum præcepi, et os cujus post largam copiam sumptam, minime affectum fuit; unguentum igitur majore copia repetivi, quo, et alvo regulari servata, curatio in paucis hebdomadis ex toto perfecta fuit, quod, nisi hydrargyrus tam libere admotus fuisset, et qui ab initio ad finem, glandulas salivares vel os minime affecerat, fortasse non factum fuisset. Si aliquid causæ vel incommodi, ne unguentum in latus infricetur, impedimento sit, hoc in quandam aliam partem, quia medicamentum sic

admotum systema pariter afficit, fieri potest. In latus tantum infricare præstat, quia fricatio ipsa parti affectæ prodesse habetur. Saunders* dicit, "If the cuticle be removed by means of blisters "from any part of the body, such a surface will "be found best adapted to the purpose of ab-"sorption." Hoc verisimile est, ostiis absorbentium denudatis; sed ægrum raro posse tolerare frictionem, in superficiem adeo teneram, opinor. Alvus semper facilis est servanda; ad regularitatem hujus sedulo est attendendum: Sic Hamilton † dicit, "A progressive accumulation of "fæces, whence arise interrupted action of the "stomach and smaller intestines, and consequent "dangerous and fatal ailments." Et porro dicit, "For it cannot be imagined that organs of so "great importance in the animal œconomy, as "the stomach and bowels are, can be long in a "state of inaction, and the general health remain "unimpaired." In alia pagina dicit, "Costive-"ness, that bane of health, and source of mani-"fold distress." Sed inter purgantia medica-

---

* Vide Saunders on Diseases of the Liver, p. 329.

† Vide Hamilton on Purgative Medicines.

menta exhibenda, ne vires debilitentur vel exhauriantur cavendum est: sed oportet illa exhibere, ut alvus regularis servetur, ad quod efficiendum, aliquid medicaminis in tanta copia, quanta hanc stimulet, motumque peristalticum intestinorum excitet, sumendum est. Aliquid sulphatis magnesiæ copiose diluti, vel infusi sennæ cum manna, vel tamarindis, vel olei ricini, omni mane tali copia, qualis alvum semel indies, ad minimum, dejiciat, fortasse sumendum est. De bonis effectibus submuriatis hydrargyri cum quodam alio cathartico conjuncti ad intervalla sumpti, mihi probe constat: et enemata interdum utilissima reperiuntur. Sic ne fœces vel acrimonia biliosa in canali intestinorum coacerventur, præcavetur, quo facto, plurimum levaminis erit ægro. Dolore lateris perstante vel augescente, sanguis ex regione hepatis hirudinibus vel cucurbitulis oportet detrahi, quod in se multum commodi et laudis habet, nam majorem esse impetum sanguinis, quam in sanitate, hepar versus, mihi videtur. Hepar, ventriculum et lienem, ramulis diversis ejusdem trunci cœliaci nutriri, anatomia docet, et ventriculum collapsum (quod sæpe fit in Hepatitide) ne sanguis in vasa ejus transeat, impedire constat; arteriam

hepaticam igitur versus, plus sanguinis quam si ventriculus copiam suam idoneam accepisset, defertur; hinc sanguinis missione speciali opus est. In sententiam Doctoris Pemberton,* cui visum est sanguinem arteriæ hepaticæ in cor rejici, actioni hujus naturali obstantem, et pulsum intermittentem reddentem, minime inire possum: quod non solum est absimile, sed revera, me judice, non potest fieri; ut sanguis arteriæ hepaticæ tanta vi refluat, et rivum fortem aortæ adeo rejiciat, ut cor afficiatur, et pulsus intermittens fiat. Vesicatoria quoque, in hoc stadio, ad tollendum dolorem ex regione hepatis, magna vi sæpe pollent. Balneum calidum ad dolorem levandum, et impetum humoris ad cutem promovendum, utile est. Taraxacum in plurimis exemplis multum prodesse fertur; hoc Pemberton summis laudibus extollit, quippe quod summum auxilium adferre ipse vidit. Virum aliquo tempore abhinc conveni, dicentem, taraxacum sibi plus profuisse (succi expressi cujus circa uncias duas mane nocteque sumpsit) quam omnia antea exhibita, quamvis frater suus,

* Vide Pemberton on the Viscera, p. 28.

(medicus) et alius haud parvi nominis in illa parte regionis, eum diu curaverunt.

Diæta ex rebus farinaceis, fructibus maturis, vegetabilibus, et illis quæ alvum facilem servant, constare debet. Sed tamen in hoc, quam in acuto, victus debet esse lautior et magis nutriens. Vires igitur ægri jusculis, carne recente modice sumpta, paulatim augenda, appetitu et valetudine redeuntibus, sustinendæ sunt. Si appetitus tarde restituatur, quædam amara et chalybeata, consilio ventriculum et intestina roborandi, fortasse exhiberi possunt. Acidum nitricum, aqua copiose dilutum, laborantibus Hepatitide multum levaminis præbere reperitur. Drachma acidi sub hac forma in viginti quatuor horis, fortasse exhibeatur. Partes æquales acidi nitrici et muriatici extrinsecus, sub forma balnei ad extremitates aliasque partes corporis, summo cum fructu, nuper admotæ fuerunt. Corpus nunc modo æquali calidum, cui consilio, lanea juxta cutem induenda maxime inserviunt, servandum est. A frigore et aëre nocturno sedulo oportet caveri ; quamprimum satis virium rediit ægro, exercere debet se sub divo, et omnibus generibus exercitationis equitatio præit.

Omnes excessus, et imprimis qui gaudia

mensæ vocantur, quos gaudia salutis plene compensabunt, omittendi sunt. Iterum affirmo attentionem ad conditionem alvi tribuendam esse; donec hepar muneribus suis sanis par factum fuerit, cum, illum stimulum naturalem, quo ad chylum formandum opus est, et qui vires tum animo tum corpori impertit, præbuerit, donec tandem color venustus, valetudini proprius, vultui antea mœrore livido, rediit.

FINIS.